

No. 123. 1369. 19. Jan.

Pabst Urban V. beauftragt den Erzbischof Albert von Magdeburg, die Vollstreckung des vom Bischof von Merseburg wider den ehemaligen Probst Ulrich ausgesprochenen Privationsurteils anzuordnen.

Urbanus episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . archiepiscopo Magdeburgensi salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum conventus monasterii opidi de Liptzka ordinis sancti Augustini Merseburgensis diocesis petitio continebat, quod olim ad audientiam venerabilis fratris nostri . . episcopi Merseburgensis fama publica referente deducto quod dilectus filius Vlricus canonicus tunc praepositus dicti monasterii per praepositum soliti gubernari bona dicti monasterii dilapidaverat nonnullaque alia crimina commiserat tunc expressa, idem episcopus contra eundem Vlricum propter hoc ad suam praesentiam evocatum super praemissis ex officio ad inquisitionem descendit et tandem quia per inquisitionem huiusmodi contra dictum Vlricum super praemissis legitime habitam repperit, dictum Vlricum huiusmodi bona dilapidasse et alia crimina perpetrasse praedicta, dictus episcopus eundem Vlricum regimine et administratione dicti monasterii per suam diffinitivam sententiam privavit iustitia exigente; quare pro parte dictorum conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem sententiae robur confirmationis adiacere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus sententiam ipsam sicut est iusta facias auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam firmiter observari, non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii papae VIII. praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine suae diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere praesumant, et de duabus dietis in concilio generali quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si eidem Vlrico vel quibusvis aliis communiter vel divisim a praefata sede indultum existat, quod interdicti suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud sanctum Petrum XIII. Kal. Februarii pontificatus nostri anno septimo.

Bartholomaeus.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an häufener Schnur.

No. 124. 1369. 8. Apr.

Erzbischof Albert von Magdeburg beauftragt seinen Official Nicolaus von Giczin, an seiner Stelle den päpstlichen Auftrag (No. 123) auszuführen und demgemäss das Erforderliche zu verfügen.

Albertus dei gratia sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus honorabili Nycolao de Giczin vicedomino ecclesiae et officiali curiae nostrae Magdeburgensis